

05

A

602



I. N. 7.
COLLEGII ANTI-SOCINIANI PUBLICI

^{Quo}
MATEOLOGIA UNIVERSA
NEO-PHOTINIANORUM
è Scriptis ipsorum plenè detegitur,

NEC NON
è S. Literis, proprijsq; adversæ partis
testimonijs succinctè refellitur,

DISPUTATIO DUODECIMA
DE NOVIS CHRISTI PROMIS-
SIS SOCINIANIS

&
DE CAUSIS MORTIS
CHRISTI,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTEBERGENSI
PRÆSIDE

ABRAHAM CALOVIO, SS.
THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL.
CONSISTORII ECCLESIASTICI CIRCULI ELECTOR.

ADSESSORE, ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORO. VIRO

& p. r. COLLEGII THEOLOGICI DECANO. AMPLISSIMO et C

Publicæ sententiarum collationi subjecta. J. NO. MARTINO T

M. CHRISTIANO LUCIO, Dresdenti, cretario meriti.

In Auditorio Majori, ad d. Junij horis antemeridianis. PETRANO ac P

WITTEBERGÆ, Typis MICHAELIS Wendt. A. cl. 1711.

SUPREMI SYNEDRII ECCLESIASTICI

quod DRESDÆ est,

EMINENTISSIMO PRÆSIDI,

PER QUAM GENEROSO, MAGNIFICO AC SUMMO

VIRO

DN. FRIDERICO A MESSCH/ Hereditario
in Reichenbach & Friesen &c. S. CÆS. MAJEST.
CONSILIARIO, IMPERII ROM. THESAURARIO, itemq;
SERENISS. ELECT. SAX. CONSILIARIO intimo.

NEC NON

CETERIS SEREN. ELECT. SAX. CONSILIARIIS ECCLESIASTICIS
REVERENDISSIMIS, MAGNIFICIS, NOBILIS-
SIMIS ATQUE AMPLISSIMIS VIRIS,

DN. ÆGIDIO STRAUCHIO, S.S. THEOL. D.
CELEBERRIMO, ECCLESIAE DRESD. ad D. CRUCIS, &
VICINARUM SUPERINTENDENTI longè
meritissimo.

DN. JACOBO WELERO, SS. THEOL. D.
FAMIGERATISSIMO, SERENISS. ELECT. SAX. A CONFES-
SIONIBUS SACRIS, ET CONCIONIBUS AULICIS
PRIMARIIS,

DN. FRIDERICO TUNCELIO, ICTO CELE-
BRATISSIMO, SERENISS. ELECT. SAX. AB APPEL-
LATIONUM CONSILIIIS ET COMITI PA-
LATINO CÆSAREO.

DN. JOHANNI LUDOVICO CÖPPELIO,
ICTO GRAVISSIMO, SERENISS. ELECTORI SAX. itidem
à CONSILIIIS APPELLATIONUM.

DOMINIS, PATRONIS ET PROMOTO-
RIBUS SUIIS OPT. MAX.

Disertationem hanc Theologicam
reverenter ac humillimè dicat

RESPONDENS.

DE NOVIS PROMISSIS CHRISTI.

CONTROVERSIA PRIMA.

*Utrum Christus demum in Novo Testamen-
to promissionem attulerit de gratuita peccatorum
remissione?*

DISPUT.
XII. pu-
blic. Re-
spond. M.
CHRISTIA-
NO LUCIO
Dresden-
si.



Affirmant adve-
sarij : Socinus thematib. de offic.
Christ. th. XXXIII. dicimus, *Novum foedus attulis-
se nobis promissum remissionis omnium peccatorum*
Ostorodus Initit. cap. V. p. 38. *Christum patefecisse
nobis, ait, peccatorum omnium condonationem: & c.*
XXI. p. 144. sub promissis à Christo primùm fa-
ctis comprehendit remissionem peccatorum. Quanquam verò
agnoscatur multò clariores promissiones de remissione peccato-
rum reperiri in N. T. hoc est, *in scriptis N. T.* non tamen cum Soci-
nianis statuendum, CHRISTUM fuisse *primum præconem gratuita re-
missionis peccatorum*, aut hæc promissa demum Novi T. tempore
facta esse: eò quod olim in V. T. jam promissiones traditæ sint de
remissione peccatorum, eaq; non tantum *quibusdam singulariter & ex-
traordinariè patefactæ*, sed *ordinariè, communitè ac promiscuè*, ad ex-
citandam fidem, in populo DEI promulgatæ sint. Quod pro-
bamus his documentis.

Socin sen-
tentia.

I. Quia *DEI misericordia & gratia* in V. T. sæpè sæpius de præ-
dicatur, populoq; in argumentum fidei, quo adhærescat DEO, inq;
gratiam ipsius confidat unicè, proponitur, quæ certè gratia ac mi-
sericordia post lapsum nulla foret, nisi gratuita peccatorum re-
missio daretur; quandoquidem *omnes per lapsum sub peccato con-
clusi sint*, unde necessum est, ut *miseretur DEUS omnium gratuita
peccatorum remissione Rom. XI. 32.*

II. Quia *Moses ipse Legislator Exod. XXXIV. 6. 7.* Deum ita de-
scribit, quod sit *misericors, clemens, longanimis, patiens, multa gratia ac*

Ss

miseritor-

miseriordia ad condonandum delicta, iniquitates & peccata; quæ descriptio quid aliud continet, quàm promissum vel documentum de remissione peccatorum gratuitâ!

III. Quia celebratur DEI misericordia potissimum exinde in Vet. Test. ac cum primis à Davide; quod DEUS non aeternum irascatur, nec agat nobiscum secundum peccata nostra, sed iniquitates nostras condonet nobis, easq; procul esse jubeat. Psalm. CIII. 8, 9, 10, 11, 12.

IV. Eodem modo deprædicat Michas. c. VII, 18. 19. gratiam DEI peccata remittentem Oratione tam splendidâ & emphaticâ, qualis uspiam extat in N. T. Quomodo ergò ambigi potest, quin habeantur in V. T. promissiones de remissione peccatorum!

V. Quid? quod ad eundem modum justificatio ac beatitudo in V. T. descripta extet, quo eadem proponitur in N. T. quodque Paulus etiam in propriâ sede hujus doctrinæ è V. T. promissiones repetat Evangelicas, indeq; naturam justificationis declaret consistentem in remissione peccatorum Psal. XXXII. i. Roman. IV. 5. & seqq.

VI. Quomodo in Vet. Test. potuissent erigi fideles in tentatione de peccatis & maledictione Legis, nisi gratia DEI ac remissio peccatorum ipsis proposita fuisset, aut quomodo promissiones illic factas sibi applicare potuissent, si eæ vel prorsus ad populum V. T. non attinuissent, sed tempora solum novi Fœderis respexissent, aut saltèm ad quosdam in V. T. peculiariter spectassent? Qui tamen jubentur applicare sibi promissiones in V. T. jubentur confidere in gratiam DEI, jubentur expetere remissionem peccatorum, additâ pollicitatione exauditionis Ps. XXXII. 5. 6.

VII. Quorsum faciunt & preces sanctorum in V. T. experientes remissionem peccatorum Mosis, Davidis, Hiskie, Esaie, Danielis, Jeremia, aliorumque Prophetarum passim obviæ. Quas fundere non potuissent, nisi de gratiâ DEI remittente peccata ipsis constitisset

solos enim Israëlitas non pertinebant promissiones ejusmodi, sed *generales* erant, omnibusq; verâ fide easdem apprehendentibus gratiam promittebant, quemadmodum *generalis* Dei gratia passim deprædicatur in Vet. Test. etsi *fructus* ejusdem præcipuè redoundarit ad Israëlitas, à quo tamen non excludebantur aliæ gentes. Quid? quod *sacrificia* etiam pro gentibus fieri potuerint *Lev. XVII. 8. cap. XXII. 18.* ac sancitum fuerit *Num. XV. 15. Statutum meum erit Vobis & peregrinis sicut Vos, sic peregrinus erit coram Jehovah.* Conf. *Esai. XIV. 7. 1. Reg. VIII. 41.* (2.) Falsum est quod de remissione pœnarum temporalium solum egerint promissiones in Vet. Test. quandoquidem potissimum respexerunt liberationem ab æterna pœna, ut iterum tum *ex alijs promissionibus*, tum è *sacrificialibus* liquet. Qualis enim illa foret peccatorum remissio, quâ *temporalis* quidem pœna tolleretur, *supplicium* tamen *æternæ mortis* adhuc luendum relinqueretur? quomodo hæc gratiæ divinæ tantoperè deprædicatæ convenirent? Nec *v. significata tantum* fuit liberatio ab æternâ pœnâ, quam obtenturi sint fideles in N. T. hinc enim neq; fides, neq; solatium haurire potuissent ulli in Veteri Testamento, eam significationem ad Nov. Test. spectare tempora intelligentes: Sed *promissa* etiam fuit fidelibus istius temporis, quod ex locis allegatis non paucis manifestum erit, unde factum, ut illis promissionibus sese erigerent in tentationibus sub V. T. Denique quomodo ipsi offerre potuissent sacrificia ad expiationem peccatorum suorum, si iisdem solùm significata fuisset remissio peccatorum sub N. T. olim victuris expectanda! (3) Nullam *quoad peccata condonanda* restrictionem in V. T. reperire licet *συγγελοι* institutâ ad tempora N. T. sed uti hîc, ita etiam istic OMNIA peccata gratis condonabantur eorumq; OMNIUM condonatio promittebatur, testibus *universalibus & indefinitis* promissionibus & effectatis, ut & *universali anniversario sacrificio*, de quibus infra pluri-

CONTRO.

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum donum Spiritus S. in Novo Testamento demum promissum sit?

Affirmant hoc itidem Sociniani Smalc. de divin. Christ. c. VII. p. 25. Duo sunt potissimum promissa, quæ nobis D. Jesus revelavit; alterum est vitæ æternæ, alterum Spiritus S. Catech. Racov. cap. V. de offic. Proph. Christ. p. 232 & c. VI. p. 238. Volckelius, qui tamen promissum Spiritus S. ad promissa vitæ præsentis à Christo facta refert. l. III. de vera Rel. c. XIII p. 81. Quibus hæc opponimus.

I. Quod promissus fuerit Spiritus S. tempore V. T. Es. XLIV. 3. Joel. II. 28. Zach. XII. 10. Quæ promissiones, etsi certo modo N. T. tempore demum completæ sint, quantum ad visibilem effusionem Spiritus S., extabant tamen tempore V. T. populoq; propositæ erant: imò, ut in N. T. invisibilitèr in corda credentium mittitur Spiritus Sanctus, sic quoq; in V. T. fidelibus & promissus & missus fuit.

II. Quia Sancti DEI homines agitati fuerunt in V. T. Spiritu Sancto 2. Pet. I. 21. quo etiam impletos fuisse Prophetas docetur in V. T. 2. Sam XXIII. 2. 2. Chron. XV. 1. c. XX. 24. Zach. II. 4. & c. Hæc ergò exempla confirmant in V. T. quoque donum Spiritus Sancti viguisse, ac proinde non pertinere id solum ad tempora N. T.

III. Quia Spiritus Sanctus in V. T. datus legitur populo DEI ad informandum eosdem Nebem. IX. 20. quidni ergò donum Spiritus Sancti novum habuissent in V. T.

IV. Expetière Sancti in V. T. donum Spiritus S. fiducialiter, ut exemplo Davidis constat Psalm. LI. 13. Psal. CXLIII. 10. cui fiduciæ locus non fuisset, nisi promissiones divinæ exstirissent de dono Spiritus Sancti; cum fides innitatur promissionibus divinis Conf. Ps. XXVII, 8.

V. Cum Sociniani per Spiritum Sanctum intelligant, partim dona miraculosa, partim ordinaria dona & effecta Spiritus Sancti, ac

cum primis Evangelium ac *spem vite aeternae*, ea omnia in V. Test. locum habuisse, in propatulo est, quia & *Propheta* claruerunt instructi *dono miraculorum*, & de Evangelio in V. T. plura extant documenta, ac denique de *spe vite aeternae* in V. T. certiores redditos fuisse fideles, dubium nullum est, ut in N. T. Evangelium & *spes vite aeternae* clarius proposita habeantur in Scriptis Evangelicis & Apostolicis.

VI. Speciatim de *aeterna vite spe* observandum est, quam hic per *donum Spiritus S.* potissimum intelligunt Sociniani, quod novo Testamento proprium faciunt *exemplum Abrahae* ceu *patris credentium* proponi fidelibus Novi Test. quod *crediderit in spem contra spem*, quod *mundi heres futurus sit*. Rom. IV. 13. & seqq. Ebr. XI. 8. seqq. Quocirca inter nos & fideles V. T. quoad *spem vite aeternae* nulla potest constitui differentia; alioquin fidelibus N. T. in *exemplum fidei* proponi non potuisset *Abraham Patriarcha* V. T.

VII. Quid? quod Spiritus Sanctus prolixo fidelium V. T. catalogo demonstret, quomodo illi *expectarint civitatem fundamenta habentem*, quomodo *spe resurrectionis afflicti trucidatiq; sint*. Quae omnia docent, eos *spem habuisse vitae aeternae*: Ac quoniam *spes* non est sine Dei promissione, cui inniti debet, nullum dubium est, quin in V. T. habuerint fideles *promissum vite aeternae*. Vide c. XI. Epist. ad Hebraeos, & Conf. c. X. 34 38. c. XII. 1 seqq.

VIII. Adde, quod in V. T. eadem causa obtinuerit, ob quam *donum Spiritus Sancti* N. T. necessarium esse docent Sociniani, nimirum, ut *obsignetur promissio Evangelij in cordibus fidelium*, quo propter nomen Dei omnia perferant ac sustineant, quandoquidem in V. T. *promissiones Evangelicas* extitisse luce clarius sit, quibus innixi fideles virtute Spiritus S. patienter omnia adversa pertulerunt jam tempore V. T.

IX. Tandem addimus confessionem Smalcij qui l. c. agnoscere cogitur in V. T. non potuisse tantum fideles *notitiam habere vite aeternae*: sed & *sperare eandem*, & quidem in universum omnes, quos etiam vitam
eternam

aternali sperasse & desiderasse fatetur. Quomodo autem sperassent, nisi donum hoc spei vitæ æternæ divinitus ipsis concessum fuisset, quod secundum Socinianos est ipsissimum donum Spiritus Sancti?

CONTROVERSIA TERTIA.

Utrum CHRISTUS primus præco fuerit æterna vitæ, & num promissum vitæ æternæ demum tempore N. T. promulgatum sit?

Sociniani negant vitam æternam sive Veteri fœderi insertam fuisse, sive populo DEI unquam expressis verbis promissam, Christumque afferunt primum in N. T. vitam æternam promississe ac primum præconem vitæ æternæ existisse: Smalcus de divin. Christ. cap. VII. p. 26. *Nostri cœtus consentant, & demonstrare parati sunt validissimis testimonijs & rationibus, I. Christum primum & solum tantæ rei (vitæ æternæ) fuisse præconem. Conf. Ostorod. Catech. Racov. & Volckel. l. c. Quod verò Christus neutiquam primus præco fuerit vitæ æternæ in Novo demum Test. quoq; bonum vitæ æternæ temporibus N. T. non sit proprium, sed in Vet. quoq; Test. promissum fuerit, his confirmamus.*

I. Quod Protoplasti ad æternam vitam conditi fuerint Gen. I, 26. ἐπ' αὐτοῦ ὁμοιωσάμενοι Sap. I, 18. c. II. vers. ult. de quo supra. Nam quomodo tale bonum, quod in Adamo naturaliter fuit, præconio Christi propriè ac solum competeret, uti arguit ipse Smalcus l. c. Quomodo, inquit, id Evangelij proprium esset, quod vel in Adamo naturaliter fuerit, vel alijs ante Dominum Jesum revelatum, & cognitum fuerit?

II. Quia in ipsa V. T. substantia comprehensa fuit pollicitatio æternæ vitæ. Quod itidem supra demonstratum ivimus. Unde Rom. VII. 10. Lex dicitur ad vitam æternam data, ut hoc factum sub conditione, quam nemo hominum præstat post lapsum; ut ita N. T. erectione omninò opus fuerit: Conf. Levit. XIX. 5. Luc. X. 28. Gal. III. 12.

III. Do-

III. Docent hoc promissiones Evangelicæ in V. T. factæ, quibus vita æterna comprehensa fuit, inde à prot. Evangelio Paradisiaco *Gen. III. 15.* Quod CHRISTUS luculento Testimonio docet *Job. V. 39.* Qui præterea *Sadduceos* de resurrectione mortuorum & vita æterna convincit è Mose *Matt. XXII. 32.* Idem comprobat Paulus, cum *Rom. IV. cap.* è Davide viam salutis demonstrat. *Psalm. XXXII, 1.* Quomodo enim talia inde demonstrari potuissent, nisi in V. T. promissiones salutis & vitæ æternæ exstitissent?

IV. Quid? quod Paulus *Rom. IV 13.* doceat, Vitæ æternæ promissionem non solum Abrahamæ factam, sed etiam semini ejus, & quidem per justitiam fidei, ubi fatetur *Schlichtingius* per mundum intelligi æternam vitam: Quodq; idem Apostolus *Rom. X. 8.* testetur, verbum fidei populo DEI in V. T. propè fuisse, in corde, & in ore ipsorum, adducto quoq; loco classico *Joël II. 32.* Quicumq; nomen DEI invocaverit, salvus erit; quæ est aperta promissio salutis & vitæ æternæ. Unde *Rom. XV, 4.* docetur, ex iis quæ in V. T. præscripta sunt, per consolationem vivam spem hauriri posse, prouti etiam *Rom. I. 17.* *Gal. II. 11.* *Heb. X. 38.* è Propheta *Habacuc. c. II. 4.* demonstratur, hominem justificari & salvari æternum per fidem. Unde manifestum est, in V. T. exstitisse omnino promissionem æternæ vitæ.

V. Quam salutem Propheta V. T. scrutati sunt, & de quâ testimonium ipsi perhibuerunt, ea sine dubio in V. T. jam promissa fuit. At salutem vitæ æternæ scrutati sunt, &c. teste Petro *i. Epist. I. 10.* *Act. X. 43.*

VI. Promissiones Patriarchis factæ de benedictione omnium gentium in semine Abrahami, quod est Christus, interprete Paulo, *Gal. III. 15.* comprehendebant simul æternam vitam *Gen. XII. 3. c. XIX. 18. c. XXII. 28.* Quandoquidem benedictio ea, quæ in Christo, & per Christum habetur, non tam ad hanc, quàm ad alteram vitam spectet, quod ex ipsa Abrahami applicatione fiduciali colligere est, quæ promissiones illas per fidem apprehendit ad salutem, prout ex interpretatione Mosis liquet *Gen. XV. 6.* Et testimonio Pauli comprobatur, qui non modo fidem Abrahamæ innitentem promissionibus

bus spiritualibus deprædicat *Rom. IV.* Sed & benedictionem illam de *Spirituali benedictione* accipiendam esse docet *Gal. III. 13. 20. 22.* Quid? quod Patriarchæ à talibus promissionibus in *V. T.* *spem vitæ æternæ* hauserint, quod de *Abrahamo, Isaac & Jacobo, Sara, Mose* alijsq; sanctis docetur *Ebr. XI. 10. seq.* expressâ etiam mentione facta *spei resurrectionis ad vitam æternam* vers. 35. quæ præsupponit necessariò *promissionem divinam æternæ vitæ* credentibus factam.

VII. Institutio *circumcisionis* docet *promissionem æternæ vitæ* factam esse toti populo in *V. T.* cum *foedus circumcisionis* ad totum populum spectarit, in quo pollicetur DEUS se futurum DEUM *Abrahæ & semini ipsius Gen. XVII. 7.* At DEUS non est DEUS credentium tantum ad hanc vitam, sed etiam *æternam vitam*, unde è tali *promissione* Christus ipse certitudinem alterius vitæ demonstrat.

IX. E *Sacrificijs expiatorijs* liquidò colligere licet *vitæ æternæ* revelationem populo DEI factam esse, quia fiebant *Sacrificia* illa ad remissionem peccatorum & ad expiandum animas delinquentium coram DEO, ut ejus gratia fruerentur, nec ob peccata æternâ exciderent salute: Vide *Levit. IV. c. V. 1. 2. 21. 26. 31. 35. c. IV. 10. 13. 16. c. V. 7.* Ubi remissionis peccatorum per sacrificia mentio fit, quam inferre æternam vitam asserunt Socinistæ, Conf. *Levit. XVI. ut & c. XVII. 11.* Unde colligere possumus *Sacrificia fuisse conciones reales de Messia*, in quo per sanguinem ejus habetur remissio peccatorum & æterna vita Conf. *Ebr. XI. c. XI. 4.*

IX. Huc faciunt *promissiones gratiæ & remissionis peccatorum*; de quibus supra, ut & *promissiones beatitudinis in V. T.* *Psal. II. 13. Ps. XXXII. 1. Ps. XXXIV. 9. Psal. CXIX. 1 seqq. Ps. XXXVI. 9. Psal. CIII. 3. Ps. CXXVI. 5. 6. Ps. CXXX. 4. Ps. CXLIV. 15. Prov. III. 13. c. XVI. 20. c. XXIX. 18. Esa. XXX. 18. c. XXIX. 16. c. XXV. 8. c. XXXV. 10. cap. XXXII. 17. c. LXIV. 4. c. LXV. 17. c. LXVI. 14. Jer. XVII. 7. c. XXXI. 33. Ezech. XII. 33. c. XXXVII. 3. Dan. XII. 2. Os. VI. 2. c. XIII. 14. Joël. II. 32. Amos. V. 14. Malach. III. 17. &c.*

Tc

X. Cum-

X. Cum primis verò hic observanda veniunt sequentia luculenta Testimonia : *Job. c. XIX, 25.* de quo loco classico vide speciatim Disp. D. Meisneri sub Titulo fides Jobi: *Pf. XVII. 15.* ubi expressa mentio fit gaudii æternæ vitæ, ut & *Ezech. XXXVII. 3. & seqq.* ubi adumbratur futura resurrectio mortuorum, nec non *Daniel. XII. 2.* qui locus disertissimè docet de resurrectione ad vitam æternam, ac de gloria & fulgore cœlesti, nec non *Malach. III. 17.* ubi iterum satis luculenter describitur status alterius vitæ, Unde Volckelius ipse fateri cogitur, dicta illa *Job. XIX. 25. Ezech. XXXVII, 2. Dan. XII. 2.* quoad sensum mysticum de resurrectione mortuorum agere.

XI. Confirmari insuper potest sententia nostra è *libris Apocryphis V. T.* qui, etsi à Prophetis profecti non sint, magnæ tamen pleriq; authoritatis in populo DEI fuerunt, imò testimonium luculentum perhibent confessionis & fidei credentium V. T. tempore. Quod si verò fideles V. T. tempore spem habuerunt æternæ vitæ, eandemq; crediderunt, prout ex illis libris sole clarius constat, necessum est, habuisse eosdem promissiones divinas de æternâ vitâ. Fides enim & promissio relata sunt, quorum unum sine altero esse non potest. Vide *Tob. II. 17. 2. Maccab. VII. 6. 9. 11. 23. Sap. III. 7. c. V. 2. 16. 4. Esdræ. II. III. c. VII. 43. cap. XIX. 1.* E quibus omnibus luculenter patescit, quam falsò Sociniani asserant primum præconem vitæ æternæ demum esse Christum tempore N. T.

XII. Addimus tandem, quod Sociniani non possint suam opinionem de Christo primo præcone vitæ æternæ documento aliquo firmo demonstrare. Quin fateri etiam cogantur in quibusdam dictis prius laudatis, saltè quoad sensum mysticum haberi promissionem vitæ æternæ, prout de Volckelio ante dictum. *Smalc. de divin. Christ. c. VII. p. 27. Non negamus, inquit, homines pios semper sperasse vitam æternam, & eandem cupisse, sed in ea tota versatur res, quod affirmatur istud bonum vitæ æternæ nec fœdere inclusum, nec usquam populo aperte promissum fuisse. Spes omnis illorum conjecturis & consideratione justitiæ DEI nititur : At nostra nititur DEI promissis, sepissimè*

mè iteratis, & firmissimè confirmatis. Hæc Smalcus: è quibus acceptamus, quod faterur se non negare vitam æternam à pijs semper speratam esse in V. T. Quod si verò sperarunt semper homines pijs eandem, necessum est, ut divinas de illâ habuerint promissiones. Humana enim promissa vitæ æternæ spem gignere non possunt. *Nec conjectura* spem producant, sed opinionem meram. Spes vitæ æternæ non nisi è divinis promissis oritur. *Consideratio justitiæ DEI* sine promissione vitæ non vitæ spem, sed potius desperationem infert, quum justitiæ DEI tenore maledicti sint omnes, qui non observant omnia verba legis. *Deut. XXVII. 26.* Imprimis verò notandum est testimonium *Anti-Trinitariorum in Transsylvania, Franc. Davidis, & Georg. Blandratae,* in refutat. script. Georg. Major. De Trinit. u. 6 f. 2. Neq; tamen propterea sanctos Veteris Testamenti spiritualibus divitiis Filij DEI spoliamus. Nam ut una eademq; à condito mundo ad finem usq; electorum Ecclesia est, ita eadem & communis omnium salus, idem DEUS Pater, idem Servator Messias, idem Spiritus, eadem vita & hereditas. In substantia discrimen non est, sed in modo, mensura & gradu patefactionis Messie & salutis: Et in Elementorum mundi observatione, & ab hac libero statu: Ex quo diverso statu & salutis patefactione discrimen ætatum in Electis nascitur: quarum altera puerilis vocatur, à legali pedagogia reeta: altera adultior ac grandior ab adoptionis Spiritu gubernata &c.

DE CAUSSIS MORTIS CHRISTI.

CONTROVERSIA PRIMA.

Utrum Christus eo fine tantum quoad nos mortuus sit, ut voluntatem DEI confirmaret?

Racov. Catech. c. II. X. p. 257. & 261. nullam aliam agnoscit causam, Socin. sententia sua confirmaret, cui astipulatur quoq; Socinus brevi tractatu de officio Christi p. 10. seqq. Smal. de divin. Christi c. XI. Conf. Crelmat. volunt. lius DEI per

*mortem
Christi.*

*Confutatio e-
jusdem.*

lius de causis mortis Christi p. 14. 15. Hanc autem sententiam erroneam esse multis modis constat.

I. Quia voluntas DEI satis jam confirmata erat in V. T. tum quâ præcepta, tum quâ promissa divina, ut eâ de causâ opus minimè fuerit adventu Filij DEI in hunc mundum ac morte ejusdem. Vide Luc. XVI. 29. Johan. V. 39. Rom. XV. 4. 2. Tim. III. 15.

II. Si vel maximè Christus novam doctrinam protulisset de voluntate DEI, abundè tamen eadem confirmata fuisset miraculis ejus multifarijs, ad quæ subinde Christus provocat, ceu luculentum documentum veritatis cœlestis Job. X. 25. 37. 38. c. V. 36. c. XVI. 47. Quibus accedunt aliæ testificationes non tantum Angelorum, sed etiam Patris voce cœlesti de Christo testificantis Matth. III. 17. cap. XVI. 5. Non ergò opus fuit, ut confirmandæ doctrinæ causâ Christus mortem oppeteret.

III. Ad hæc nusquam in sacris docetur Christum mortem subijisse solum ob confirmationem doctrinæ suæ, ut ut plurima de morte Christi in Scripturis tradantur. Sed nec usquam docuit Spiritus Sanctus, hanc primariam fuisse mortis Christi causam, nedum solam & unicam.

IV. Quod si hæc sola fuit causâ mortis Christi, non erit mors Christi à martyrii priorum martyrum diversa, quippe qui pariter sanguine suo doctrinam obsignant.

V. Et quid opus fuisset, ut unigenitus ac proprius DEI Filius mortem subiret confirmandæ doctrinæ causâ, quam tot martyres confirmarunt, quæq; tum in V. T. à Prophetis, tum in N. T. ab Apostolis sanguine obsignata fuit.

VI. Quid? quod confirmationem voluntatis Divinæ Sociniani, ac cum primis Racov. Catechismus non tam in morte Christi quam propriè in resurrectione Christi collocent, quâ confirmamur eadem de nostrâ resurrectione & æternâ vitâ? Quod si verò morte Christi confirmata tantum fuisset doctrina ejus, eaque solum martyrium foret seu confirmatio doctrinæ, confirmari utiq; potuisset ea

se ea doctrina morte Christi per se, sine resurrectione vel non subsequuta eadem, prouti multi martyres doctrinam morte suâ confirmarunt, et si non revocati sint in vitam.

VII. Quod si doctrina tantum confirmanda ergo Christus mortem subiisset, quid opus fuisset, inferni horrorem subire, in maledictionem tradi & à DEO deserti, prout Christus mortem etiam infernalem pro nobis gustavit, à DEO desertus est & maledictus factus, ac peccatum pro nobis, Psalm. XXII. 1. 2. Cor. V. 21. Galat. III. 13. sanè nunquam ita Christus contristatus fuisset usq; ad mortem, sed maiore alacritate mortem oppetiisset, si doctrina saltem causa moriendum ipsi fuisset. Quandoquidem etiam Martyres absq; insigni anxietate & horrore imò cum alacritate & gaudio mortem subierint.

VIII. Scriptura Sacra longè aliam & potiore causam mortis Christi adducit quam confirmationem doctrinæ, utpote reconciliationem nostram cum DEO Rom. V. 10. 2. Cor. V. 19. Eph. II. 16. Col. I. 20. Expiationem peccatorum Rom. III. 24. 1. Johan. II. 2. mundationem & purificationem à peccatis Rom. IV. 25. Ebr. X. 25. 1. Petr. II. 24. λύτης per solutionem pro nobis factam Matth. XX. 28. Marc. X. 45. 1. Tim. II. 5. redemptionem generis humani. Roman. III. 24. 1. Cor. VI. 20. Eph. I. 7. Coloss. I. 14. 1. Petr. I. 18. 2. Pet. II. 2. remissionem peccatorum Matth. XXVI. 26. Eph. I. 5. Liberationem ab irâ DEI, maledicto Legis, morte & inferno. 1. Theß. I. 10. Gal. III. 13. Ebr. II. 14. Acquisitionem Ecclesiæ. Act. XX. 28. Restitutionem iustitiæ. Dan. IX. 24. 2. Cor. V. 21. Sanctitatem animæ Es. LIII. 6. 1. Petr. II. 24. Benedictionem spiritualem Gal. III. 14. Liberationem ab hoc presenti malo seculo & à prava conversatione. Gal. I. 4. 1. Petr. I. 18. Mortificationem peccati 1. Petr. II. 24. Vitam & salutem æternam Job. VI. 51. &c.

IX. Atq; hinc mors Christi proponitur in scripturis non solum ut mors cuiusdam martyris, sed ut mors unici Mediatoris. 1. Tim. II. 5. 6. Sacerdotis N.T. Ebr. IX. 15. Redemptoris. Matth. XX. 28. ut mors pastoris pro ovibus traditi Joh. X. 14. imò spectat mors Christi non

ad *Propheticum* ejus officium, sed propriè ad *officium mediatorium ac sacerdotale*.

X. Adde, quod *Sociniani* fateantur causam finalem mortis Christi esse *remissionem peccatorum & emendationem vitæ nostræ*. *Crell.* de causis mortis Christi p. 1. non ergò *confirmatio voluntatis DEI unica* est causa mortis Christi; ut taceam quod multis modis falsa sit declaratio *Sociniana*, quo pacto mors Christi vel totam ejus *doctrinam*, vel *amorem DEI erga nos*, vel *resurrectionem & vitam æternam* confirmârit, quo de videatur *tract. de causis mortis Christi*. Contra *Crell. Franc. David. & Georg. Blandrata* in refut. Major: è *Mart. Borrhao* ita suam promunt sententiam y. 7. f. 2. *Multo absurdius est, quod nonnulli dicunt, Christi mortem per se & sua natura, ut homo erat, non fuisse satisfactionem pro peccatis Corporis sui Ecclesie. Iis considerandum erat, Christum hominem innocentem esse & perfectè justum, quem DEUS pro sua justitia, morti tradere sine noxa, quam lueret, non potuerit. Item Christum non vulgarem hominem esse, sed Θεὸν ἑνωμένον, hominem, oleo divinitatis Spiritus citra modum & mensuram unctum. Et ut humana natura tota perfusa est divinitate, ita in redimendo humano genere infiniti amoris & bonitatis opera perfecit, pro infinita pravitate peccatorum satisfaciens summe justitiæ DEI.*

CONTROVERSIA SECUNDA.

An per mortem Christi propter resurrectionem ejus de salute æternâ consequendâ, exemplo Christi certiores reddamur?

Socin. sententia de morte & resurrectione Christi exemplari.

Affirmant *Sociniani*, eò quod exemplo Christi videamus eos, qui D. o obsequuntur è morte truculentissimâ liberari *Catech. R. cov. p. 258. Wir seynd durch den Todt vnd die Auferstehung des Herrn Christi darinnen derhalben versichert / daß wir auß dem Exempel Christi selbst sehen / das die / welche Gott gehorsam sindt / auß dem allerschrecklichsten Todt errettet werden. Conf. Socin. p. 1. de Servat. Christ.*

Christ. c. 5. ubi disputat, quod *Christus à mortuis resurgendo salutis æternæ viam nobis ostenderit*. Quanquam verò extra omnem controversiam Christi mortem, quam pro nobis sustinuit, de consequendâ vitâ æterna nos confirmare, nec quisquam inficias eat, quin per resurrectionem Christi de futura resurrectione & salute certiores reddamur docente Apostolo 1. Cor. XV. Negamus tamen *ἄπο τῆς θανάτου*, quod hoc fiat *exemplariter*, vel eâ ratione, quâ in exemplo Christi cernimus *fideles à morte liberatum iri*, atque ita per mortem Christi de remissione peccatorum & vitâ æternâ confirmemur.

I. Quia nullo documento è Scripturis tale quid demonstrari potest. Refutatio
ejusdem.

II. Quia in Exemplo Christi liberationem à peccato & morte videre non possumus; quandoquidem Christus omnis peccati expers fuerit 2. Cor. V. 21. 1. Pet. II. 24. nec remissione peccatorum indigerit, uti nos indigemus; quomodo ergo inde de remissione peccatorum exemplo ejus certiores reddemur?

III. Quia Christus non fuit morti obnoxius ob *propria peccata*, prout nos morti subjicimur propter peccata, ob quam *inæqualitatem* non potest mors ejus statui exemplum nostræ liberationis à morte. Qualis enim hæc consequentia foret, *Christus, qui omnis peccati expers fuit, non potuit nec debuit in morte manere*; Ergò etiam nos, qui peccatis infecti sumus *tenemur in morte manere*?

IV. Quid? quod hæc ipsa causa fuerit, quare Christus à morte teneri non potuit, quod *nullum* in ipso fuerit *peccatum*, quodq; *sanctus* ac prorsus *innocens* extiterit; quid ergò exemplum ejus hæc in parte ad nos, qui *carnales* sumus, & sub peccatum venundari?

V. Accedit, quod Christus potestatem habuerit *vitam suam* & *deponendi* & *resumendi* Joh. X. 18. quod nemo in suâ potestate habet; non ergò alijs exemplo esse potest, quod Christus vitam resumpserit, cum eam nemo alius resumere queat.

VI. Ad hæc non erat Christus nudus homo, sed *verus DEUS*, Patri æqualis, qui *vitam habebat in semetipso*, sicut Pater vitam in semetipso habet Joh. V. 19. Nemo ergò huic exemplo inniti potest, quan-

quantum quidem is solus mortem superare & à morte resurgere poterit.

VII. Alia insu per insignis differentia deprehenditur quoad mortem Christi & aliorum hominum, quod ille videre non debuerit corruptionem Psal. XLII. cui ceteri obnoxij sunt, unde ab exemplo ejus non constat, nos qui penitus obnoxij reddimur corruptioni, denuò in vitam revocatum iri, si scilicet nudè ejus mors in exemplum proponatur.

VIII. Præterea mori debuit Christus ceu mediator & redemptor noster, adeoq; morte suâ mortem vincere. Os XIII. 14. 1. Cor. XV. 25. Ebr. II. 14. unde neutiquam à morte superari potuit, quod de nullo alio hominum dici potest. Quapropter mors ejus planè singularis est, è qua exemplum vel regula constitui non potest.

IX. Quibus omnibus & hoc accedit, quod nos sub irâ DEI, maledictione Legis & æternâ morte conclusi simus per peccatû, à quibus Christus per se immunis erat. Quod si ergò mors Christi solum nobis exempli loco esset, non autem iram DEI propitiaret, nunquam ab hoc exemplo certiores redderemur de resurrectione ad vitam æternam. Quid enim alium juvare potest, qui sub maledictione & condemnatione constrictus tenetur, quod videat alium ab eò maledictò per se prorsus immunem ad vitam æternam resurgere?

X. Quod si omninò exemplo Christi de resuscitatione confirmemur, certè non confirmat nos mors Christi eò pacto, sed potius ipsa resurrectio ejus, unde debebat potius resurrectioni Christi adscribi remissio peccatorum & liberatio à morte, quàm morti Christi, quæ in ac per se, prout à Socinianis describitur, talem confirmationem præbere nequit. Qui ergò sit, quod morti potius Christi, quàm resurrectioni ejus reconciliatio, remissio peccatorum, redemptio, liberatio, vita ac salus æterna adscribatur?

XI. Quod si mors Christi solum exemplariter nos confirmat de liberatione à peccato & morte, non posset ideò morti Christi remissio & expiatio peccatorum, ac liberatio ipsa adscribi: quia aliud est liberatio

beratio ipsa, aliud *liberationis confirmatio*. Atqui mors Christi proponitur in Sacris non solum ut *confirmatio*, vel *exemplum liberationis*, sed ut per quam ipsam liberationem hominibus & expiationem peccatorum acquisiverit. Matth. XX. 28. Marc. X. 45. Matth. XXVI. 26. Act. XX. 28, Rom. V. 10. Gal. III. 13. Eph. I. 7. Col. I. 14. I. Pet. I. 18. Ebr. II. 14. &c.

XII. CHRISTUS non eo fine obediens fuit usq; ad mortem, ut à morte liberaretur, vel aliquid per mortem aut obedientiam suam sibi acquireret aut impetraret; ideoq; non potest hac in parte nobis *in exemplum* sibi: Quandoquidem *propter nos* obediens factus sit mortemq; subire voluerit, ut nos à morte liberaremur & vitam consequeremur, prouti etiam nos non per *propriam nostram obedientiam* à morte liberamur, *justificamur* aut *salvamur*, sed solum per *obedientiam Christi ac redemptionem ejusdem*. Rom. V. 18. 19. c. III. 24. Ebr. II. 14. &c.

XIII. Si *confirmatio aeternae vitae* innititur exemplo Christi in mortem traditi & resuscitati, necessum est veteres, seu fideles in V. T. eà confirmatione remissionis peccatorum spe salutis caruisse, quod oppidò falsum est.

XIV. Scriptura longè alia confirmationis nostrae documenta proponit, eaq; firmissima, *immutabilem* nempe *DEI veritatem*, & *juramentum* omni exceptione superius, cui tutò inniti possumus. Ebr. VI. 17. 18. Ut ejus quidem rei causà non necessum fuerit, ipsummet Filium DEI unigenitum mortem subire.

XV. Quod si DEUS omninò per *exempla* nos confirmare voluisset, aliis *magis congruentibus exemplis* id præstitisset eorum, qui pariter uti nos meri homines, peccatis obnoxii erant, resuscitatione, nec ita opus fuisset traditione Filii sui unigeniti in mortem, multò verò minus ideò Filius DEI *maledictum* fieri debuisset à DEO, si solummodo *in exemplum* sibi nobis debuisset.

XVI. Adhæc longè clarius ac notius certiusq; videtur id, quod Deus peccata remittat, quàm quod CHRISTUS à mortuis resuscitatus sit, præsertim pensi habitis Socinianorum hypothesebus.

U u

Quo-

Quomodo ergo per resurrectionem Christi de remissione peccatorum certiores reddemur?

Deniq; XVII. fateri cogitur *Crellius* l. de caus. mort. Christ. p. 33. *Mortem potius, quam resurrectionem Christi commemorari, cum de medio agitur, quod ad remissionem peccatorum nobis comparandam, nosq; à morte liberandos adhibitum fuit: At si Socin: obtinere deberet sententia, resurrectioni potius Christi, quam morti ejus id adscribendum esset. Si enim statuatur conditione Christum peccatoribus similem factum esse, ut exemplum praberet liberationis à pœna peccatorum, quod vult Crellius, tùm sanè resurrectio potius, quam mors Christi commemoranda foret, utpote è quâ secundum Socin: oritur spes nostræ ereptionis, quâ freti viam salutis ingredimur.*

Excipit v. *Crellius* l. c. mortem Christi non concurrere tantùm per accidens ad hujusmodi effectum, tùm quod ex rei natura mors ad liberationem è morte constituendam sit necessaria, tùm quod mors Christi tam acerba vim addiderit resurrectioni ad liberationem nostram à peccatorum pœnis tanto evidentius demonstrandam. Resp: i. Nō apparet ullatenus, quomodo Mors Christi juxta hypotheses Adversariorum alio potiori, quam fortè cause per accidens respectu, aut quomodo ut causa per se concurrat ad comparandam remissionem peccatorum, nostramq; è morte liberationem, quum spes liberationis nostræ non à morte Christi dependeat tanquam causa per se, sed à liberatione Christi, è morte ceu causa exemplari (vel quocunq; eam vocare libeat nomine) juxta eorum àmissiã. Non sanè ideò, & inde nos credere aut sperare liberationem ipsi docent, quod Christus mortuus sit; sed quod è morte liberatus (2). Licet v. ex rei naturâ prærequiratur mors ad liberationem è morte, non tamen hîc intervenit ratio causa per se: non magis ac peccatum causa per se dici potest liberationis, vel spei aut fiducia liberationis à peccato, quod ex rei naturâ peccatum ad liberationem à peccato prærequiratur; vel ut *Crellius* αὐτῶς loquitur, ad eam constituendam necessaria sit (3) Nec deniq; mortis acerbitas per se influit causalitèr ad demonstrationis majoris evidentiam, quod ab acerbissimis pœnis

pœnis liberandi simus, sed prærequiritur saltem ad liberationem è morte acerbâ. Non enim ex acerbâ morte liberari potest, nisi qui acerbam mortem sustinuit; quod autem liberandus sit, si exemplo constare debeat, & per exemplum id fiducia vel spes ingenerari, dum evidentè demonstratur aliquem ex acerbissimâ morte liberatum esse, tum sanè ad ipsam evidentiam demonstrandam ejusmodi liberationis non facit mors quâ acerba, tanquam causa per se influens in evidentiam demonstrationis: utat prærequiratur acerbitas mortis, ut sequi possit liberatio ab acerba morte. Mera sunt ergò illa *τηρησιμα*, mera spectra humani cerebri, quibus frustra Spiritus Socinisticus mortis Christi meritum obscurare satagit.

CONTROVERSIA TERTIA.

Qualis fuerit mors CHRISTI, nùm solum temporalis, an verò etiam gehennalis?

Catech: Racov. p. 253. docet mortem Christi ejusmodi fuisse, que omnium gravissima pariter & ignominiosissima exstiterit; ita ut fratribus per omnia similis fuerit. De morte autem infernali Christi altum est apud Socinianos silentium. Imò negat Socinus, Christum mortem eternam vel infernalem subiisse. Quamvis non defuerint, ait Socinus part. III. de Servat. Christ. c. VI. qui Christum damnatorum pœnas passum fuisse, affirmare sunt ausi, explosa tamen est sententia ista, & merito quidem; &c. Verùm quod Christus non solum corporalem mortem perpeffus sit, sed & mortem gehennalem gustarit, & inferni dolores sustinuerit, quos nemo sanctorum exantlare potest, sequentia docent.

I. Vaticinium Davidis Psal. XXCIIX. 4. 5. & seq. ubi prolixè & emphaticè cruciatus ac dolores inferni, quibus obnoxius fuit^o Christus tempore passionis suæ, describuntur, quando quidem vaticinetur propriè illic Propheta de passione Christi, ut circumstantiæ edocent.

Uu 2

II. Typus

II. *Typus & adumbratio* in persona Davidis, qui horroribus inferni obnoxius & à torrentibus Belial ac vinculis mortis circumdatus præfiguravit futuram passionem Christi 2. *Sam. II. 6. Psalm. LXXIX. 6. Conf. Ps. CXVI. 3.*

III. *Passionis Christi descriptio*, è quâ abundè constat, quàm horrendam anxietatem ipse sustinuerit in animâ suâ, quomodo *consternatus & contristatus fuerit usq; ad mortem*, præ summis inferni doloribus, adeò ut cum morte colluctatus sit, & sanguinem etiam sudare opus habuerit, imò ab Angelo confortari debuerit *Matth. XXVI. 36. Luc. XXII. 43.* Quæ certè nulla alia quàm ipsius gehennæ tormenta erant, ob peccata totius mundi, & iram DEI, quibus premebatur.

IV. *Surrogatio Christi* in nostri locum, quando quidem *vice generis humani* perpeffus sit, & ea, quæ nobis sustinenda erant, nostri loco sustinuerit *Matth. XX. 28. Marc. X. 45. Job. X. 16. c. XI. 51. 52. Rom. V. 6. 7. 2 Cor. V. 14. 15. 1. Tim. II. 6. 1. Pet. III. 18.* Interea autem, quæ nobis sustinenda erant ob peccatum, præcipuè fuit *mors infernalis*, proinde & illam perpeffus est, ceu Mediator noster, qui in nostri locum surrogatus est.

V. *Peccati nostri susceptio.* Quando quidem omnia peccata nostra, imò totius Mundi Christus in se derivârit & portârit *Esa. LIII. 6. 2. Cor. V. 21. Jos. I. 29.* Qui autem in iudicio DEI peccata ferre cogitur, eum oportet subire mortem infernalem & condemnationem *Deut. XXVII. 26.*

VI. *Pœnarum exantlatio*, quas nos peccatis nostris promeriti eramus, de quo *Esa. LIII. 6. Rom. IV. 25. 2. Cor. V. 21. 1. Pet. II. 24. &c.* ad quas pœnas nobis incumbentes ob peccata, præcipuè ac singulariter pertinuisse mortem gehennalem dubium nullum est.

VII. *Exclamatio Christi in cruce*, ob quam conquestus est se à DEO desertum esse. *Ps. XXII. 1. Matth. XXVII. 46.* Quando quidem desertio divina sit gradus pœnæ infernalis, & sensus derelictionis ac desertionis divinæ nihil aliud sit, quàm sensus infernalis.

VIII. *Execratio, quam Christus subiit*, quippe qui *maledictum pro nobis*

nobis factus est nostri loco, qui eramus sub maledictio legis, Gal. III. 13. Deut. XXVII. 26. Quandoquidem hæc execratio inferat præcipuè mortem infernalem. Unde etiam liquet, longè aliam esse mortem Christi à Sanctorum morte, qui nec peccatum nec maledictum sunt, nec à Deo deseruntur, nec ab imo DEO puniuntur, sed paternè tantum castigantur, nec denique cum inferno ac Diabolo colluctantur, nisi tanquam cum hostibus jam devictis, quos morte sua superavit Christus, quiq; à Christo per mortem adhuc superandi erant Ebr. II. 14.

IX. Deniq; Confessio Crollij l. de caus. mort. Christ. p. 31. quod Christus mortem subierit instar maledicti à DEO, quam oportet esse pœnam damnatorum & mortem infernalem; hæc enim est maledictorum à DEO. Nec obstat, quod Socinus l. c. excipiat propriam damnatorum pœnam esse desperationem de divinâ gratiâ, de auxilio: quia desperatio nō pœna est sed peccatū, idq; gravissimum: Christo a. pœnam tulit, sine ullo peccato; nec ad pœnæ damnatorum qualitatem per se ea pertinet desperatio, sed conjuncta tantum est cruciatib; infernalibus, eò quod ob propria peccata & infidelitatem illi sustineantur, quia in inferno ejusmodi finalitèr increduli non habent amplius spei ac fidei medium ullum, vel unde spem ac fiduciam concipere queant. Quid verò hoc ad Christum, autorem & consummatorem fidei omnis peccati expertem, nec nisi ob nostra peccata maledictum factum.

CONTROVERSIA QUARTA.

Utrum Christus pro omnium hominum peccatis mortuus sit?

Sociniani inficiantur Christum mortuum esse pro peccatis omnium hominum, docentq; mortuum esse solum pro hominibus illis, & pro peccatis illorum, qui tempore N. T. vivunt, non autem pro illis, qui ante adventum ejus in mundo vixerunt. Vide Smalc. ex. CLVI. error: Errore 74. p. 22. Tantum dicere volo, Christum non esse

Un 3,

mort.

mortuum pro illis, qui ante ipsum fuerunt. Conf. Error. 76. p. 23. Quod verò Christus pro omnibus hominibus, qui inde ab orbe condito vixerunt, mortem subierit, hæc confirmant.

I. Quod venerit salvare *quicquid perierat* *Matth. XIX. 11. Luc. XIX. 10.* At perierant per peccata etiam illi, qui ante Christum vixerant; quandoquidem maledictio Legis omnes premeret. *Deut. XXVII. 26. Roman. XI. 33. Gal. III. 22.* venit salvare peccatores *1. Tim. I. 15.* sub peccatorum autem censu continentur etiam peccatores V. T.

II. Quia in Christum coniecta sunt *omnium hominum peccata,* & animam suam posuit sacrificium pro omnibus *Esa. LIII. 6.*

III. Ut *per unius hominis peccatum condemnatio super omnes venit,* tam eos, qui ante Christum natum vixerunt, quam qui post Christum; Ita *per unius justitiam vita justificatio super omnes venit,* etiam illos, qui in V. T. vixerunt, *Rom. V. 18. 19.*

IV. Scriptura expressè docet, *Christum pro omnibus hominibus traditum & mortuum esse* *Rom. IX. 32. 1. Tim. II. 6. Ebr. II. 9.* & cum primis *2. Cor. V. 14.* nupiam additò discrimine eorum, qui tempore V. aut N. T. vixerunt.

V. Pro illis mortuus est Christus, *quorum peccata portavit & expiavit.* At portavit & expiavit peccata *totius mundi* *Johan. I. 29. 2. Joh. II. 2.*

VI. Accedit, quod Christus ipse luculentè testetur, se *vitam ponere pro toto mundo.* *Joh VI. 51. c. III. 16. c. XII. 47.* Ad mundum verò non minus pertinent, qui tempore V. T. vixerunt, quam reliqui *Conf. 1. Joh. IV. 14.*

VII. Pro illis mortuus est Christus, quos redemit sanguine suo. At redemit eos etiam, qui ante ipsum vixerunt, prout electi omnes sive V. sive N. T. ipsum celebrant *Apoc. V. 9.* Redemit *omnes,* qui sub maledicto Legis erant, *Gal. III. 13.* sub quo omnes homines sunt. *Deut. XXVII. 26. Rom. III. 19.*

VIII. Qui in Christo benedicuntur, pro illis etiam mortuus est, cum morte sua nos reconciliarit & benedictionem nobis acquisive-

quisiverit. *Roman. V. 10. Galat. III. 13.* At omnes nationes terra benedicuntur in Christo, nec excludi possunt *Judei* propago Abrahami sub V. T. ab hac benedictione, quibus vel imprimis facta erat de *Mesiâ* promissio.

IX. Qui in nomine Christi peccatorum remissionem consequuntur, pro illis Christus effudit sanguinem ad remissionem peccatorum. At fideles sub V. T. remissionem peccatorum in Nomine Christi consecuti sunt. *Actor. X. 43. c. IV. 12. Conf. Joël. II. 32. Rom. X. 13. Esa. XXIX. 18. Roman. X. 11. Eph. II. 7. Coloss. I. 14.*

X. Quia justificantur per Christum illi, qui sanguine Christi redempti sunt, & pro quibus mortuus est Christus. At fideles omnes justificantur per Christum &c: quod & de fidelibus Vet. Test. intelligendum. Vide *Roman. IV. 21. cap. V. 19. 21. Esa. LIII. 11. &c.*

XI. Pro quibus Christus mortuus non est, illi non sunt redempti ab iniquitate, nec reconciliati, adeoque nec remissionem peccatorum, nec justitiam aut salutem consequi possunt *Tit. II. 14. 1. Pet. I. 18. 1. Timoth. II. 6. Apocal. V. 9. &c.* At fideles Veteris Testamenti redempti sunt, reconciliati, in gratiam recepti &c. Unde etiam *Coloss. I. 20.* pax dicitur facta sanguine CHRISTI; ita ut reconciliati sint per ipsum omnes in Caelo & in terra.

XII. Qui aditum habet in Sanctum h. e. in Coelum, pro illo Christus mortuus est, quia non habemus ingressum nisi per sanguinem Christi *Ebr. X. 19. Act. XV. 10.* At fideles V. T. ingressum illum habuerunt. E.

XIII. Quid? quod Sociniani fateantur ipsi, Christum etiam fidelium V. T. redemptorem & salvatorem esse; Quorum autem redemptor & salvator est CHRISTUS, illos sanguine suo redemit & pro illis verè mortuus est. *Franc. David. & Georg. Blandmt. in refut. libr. Majoris de Trinit. V. 6. fol. 2. agnoscunt, Sanctos V. T.*

V. T. spiritualibus divitijs Filij DEI spoliandos non esse, unam eandemq; esse à condito mundo ad finem usq; Electorum Ecclesiã, eandem & communem omnium salutem, eundem DEUM Patrem, eundem Servatorem Messiam, eundem Spiritum & c.

CONTROVERSIA QUINTA.

An peccata nostra causa mortis Christi fuerint ideò solum, quod ea impedierint spem firmam remissionis peccatorum in nobis?

Quomodo peccata nostra causa mortis Christi fuerint. Socin. sententia

Refellitur.

Sociniani hoc affirmant, ut videre est è Crellio de causis Mortis Christi p. 23. quod scilicet hæc fuerit ratio, quã peccata nostra DEUM ad filij sui mortem decernendam impulerunt, quod peccata tam multiplicia, tamq; gravia vehementer impedierint, quò minus nos certam firmamq; remissionis peccatorum spem conciperemus, & nos à morte sempiternã liberatum iri crederemus, ac porrò viam quodq; remissionis peccatorum ac salutis sempiternæ consequenda ingrederemur. At quàm falsum istud sit, è sequentibus patescit.

I. Quod non tantum *accidentalis* peccatorum respectus, qua ratione *multitudinis* ac *gravitatis* spectantur, intercipiat aut impediat spem salutis, sed peccatum quodvis natura sua reatum mortis importet, adeoq; spem salutis excludat *Deut. XXVII. 26. Matth. V. 19. Rom VI 23. 1. Job. III. 4. Jac II. 10.*

II. Quod peccata sive *in se*, sive ratione *multitudinis* & *gravitatis* considerata, non solum certitudinem & firmitatem spei vitæ æternæ nobis eripiant, sed nec ullam omninò spem relinquunt, vel admittant, quin reatum mortis æternæ potius inferant & maledictionis terrorem importent, qui cum *spe vitæ æternæ* nulla ratione consistere potest. *Conf. Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Rom. I. 32. c. V. 12. 21. c. VI. 23. Ebr. XII. 14.*

III. Quod Mors Christi nusquam in Scripturis doceatur confirmare *absolutam* quandam peccatorum remissionem ex mera scilicet & *absoluta*

absoluta DEI gratia profectam, nedum spem ejusmodi remissionis peccatorum excitare. Probetur è Scripturis dari absolutam remissionem peccatorum. Probetur, ejus, respectu nostri, confirmandæ gratiâ Christum mortem subiisse! Valeat in hisce mysterijs illud Petrinum: ἡδὲν ἄρα γρηγοῖς.

IV. Ubi in S. literis explicatur τὸ *Mori pro peccatis* vel *propter peccata* in hunc sensum, sive in hac materia de Christi morte, sive etiam alibi, *ut solum sit mori, ne desperemus in peccatis!* Annon potius contrarium hæc phrasis importat sensu Scripturæ, *ut mori propter peccata* vel *pro peccatis* sit *mori culpâ & merito peccatorum, & pœnam peccatorum luere, nullâ spe veniæ connotatâ?* Id certe perpetuus usus Scripturæ docet: Ut cum quis *propter peccata mortuus* dicitur, *culpa & pœna* innuatur, quod mortem ceu pœnam culpa & merito peccatorum subierit. Nuspiam v. ea phrasi vel infertur unice, vel connotatur saltem *spes veniæ, aut negatio vel remotio desperationis in peccatis.*

V. Nulla spes foret remissionis peccatorum & liberationis à morte æternâ, nedum salutis & vitæ æternæ, nisi Christus morte suâ remissionem peccatorum & liberationis à morte æterna impetrasset, & conciliasset humano generi sub peccato & condemnatione propter peccata concluso *Roman III. 19. 24. seqq. c. IV. 25. cap. V. 8. seqq. 2. Cor. V. 19. 21. Gal. III. 10. 13. 22. Eph. I. 6. 7. c. II. 5. Col. I. 20. 1. Thes. 10. 1. Timoth. I. 15. c. II. 6. 1. Pet. I. 18. 10. 1. Job. I. 7. c. II. 2. c. III. 16. cap. IV. 10. Ebr. II. 14. 15. cap. IX. 12. 15. 22. cap. Conf. Esa. LIII. 4. seqq. Dan. IX. 24.*

VI. Peccata nostra non excluderunt solum à parte nostra *spem remissionis, liberationis à morte & salutis, sed & à parte DEI remissionem ipsam & salutis donationem* impedierunt, *vi justitiæ divinæ, & sententiæ lege promulgatæ, quâ propter peccata & à vita excludemur, & æternæ morti adjudicabamur* *Gen. II. 17. Deuter. XXVII. 26. Rom. I. 32. Gal. III. 10.*

VII. Opus ergò erat ut primitus quidem nobis *remissio peccatorum & impunitas vel liberatio à morte, nec non vita æterna* impetrare-

traretur & acquireretur apud DEUM; postmodum demum *fides* & *spes*, ex parte nostrâ locum habere potuit, consequendi remissionem, liberationem à morte, & salutem æternam. *Fides* & *spes* nostra præsupponit reconciliationem DEI, remissionis peccatorum impetrationem, redemptionem à morte, justitiæ & vitæ acquisitionem per mortem Christi factam. Es. LIII. 11. Luc. XXIV. 46. 47. Job. III. 15. 16. c. VI. 51. c. XII. 24. 32. c. XVII. 19. Actor. IV. 11. 12. c. X. 39. 43. c. XIII. 38. 39. Rom. III. 24. 25. c. XIV. 24. 25. 1. Cor. I. 30. 31. cap. II. 2. 2. Cor. V. 18. seq. Gal. II. 20. c. III. 13. 14. 22. Eph. I. 6. 7. 8. 1. Tim. I. 15. c. II. 5. 6. 1. Pet. I. 3. 18. c. II. 24. 1. Job. II. 22. c. IV. 14. 15. Ebr. II. 14. 15. c. IV. 14. 16. c. IX. 15. c. X. 14. 19. 20. 22. Apoc. I. 15.

VIII. Quod si *absoluta*, ut Adversarij comminiscuntur, foret credenda *remissio peccatorum*, spem sanè firmam certamq; habere potuissemus remissionis peccatorum, etiamsi Christus non fuisset in mortem traditus, nedum tam diræ morti subjectus, aut *maledictum aut execratio pro nobis factus*. Poterat quippe eadem hauriri ex verbo DEI & doctrina Christi miraculis prorsus divinis & omni exceptione superioribus confirmata. Quid? quod *Socinistæ* non omninò derogent *spem remissionis peccatorum fidelibus in V. T.* quibus tamen mortem Christi *spem remissionis peccatorum* ingenerasse non admittunt. Non ergò impedierunt peccata fidelium in V. T. quo minus *spem certam remissionis peccatorum* concipere potuerint, etsi Christus non erat in mortem traditus. Omnes certè *Sanctos remissionem peccatorum*, non absq; fiducia & spe exauditionis expetisse David testatur *Psalms. XXXII. 6.* & in remissione peccatorum gratuitâ spem salutis collocasse exemplo suo comprobatur v. i. Conf. Rom. IV. 2. Ebr. XI. 6. seqq.

IX Nec v. mortuus tantùm Christus est propter peccata eorum, qui Novi Test. tempore vixerunt: sed etiam propter peccata eorum, qui in *Vet. T. vixere*: non *nostra* tantum, sed *omnium hominum peccata impulsiva causa* fuisse mortis Christi: quod testantur etiam *universalia Scripturæ dicta*, quibus pro *omnibus hominibus*, pro *totius mundi peccatis* mortuus dicitur, tum ea etiam, quæ includunt
difer-

disertè Veterum, vel qui tempore V. T. vixerunt, peccata, utpote *Esa. LIII. 6.* tum deniq; quæ eandem rationem justificationis & salutis consequenda fuisse in Vet. Test. quæ in N. T. locum obtinet, testantur.

X. Cùm Christus in mortem traditus vel mortuus dicitur propter peccata nostra, vel pro peccatis nostris, aut generis humani, peccata non tantum ut occasio quadam mortis Christi proponuntur, sed ut causa meritoria, non tantum innuitur, peccata DEUM impulisse, ut Christum in mortem traderet, quò exemplo ejus spem liberationis à morte conciperemus; sed exegisse peccata nostra supplicium, Christumq; pœnam peccatorum nostrorum luisse ac sustinuisse, Christum merito & culpa peccatorum nostrorum in mortem traditum esse, quo liberationem à peccatis & pœnis peccatorum nobis impetraret & conciliaret. Quod in *αποδείξει* fidei nostræ de satisfactione Christi expresso *ξὺν Θεῷ* demonstrabitur: ad quam elidendam, uti novum illud Socinianum commentum universe antiquitati penitus incognitum, unicè excogitatum, ita inauditâ ratione perverti oportet Scripturæ dicta luculentissima, stante illo *εὐρηματι* nupero sectæ Socinisticæ, ut alibi *ὁφθαλμοφανῶς* ostenditur.

XI. Exemplum Christi è morte erepti non potest facere ad spem concipiendam firmam certamq; remissionis peccatorum & liberationis à morte, prouti quidem contendunt Adversarij. Disparitima enim hic ratio Christi & aliorum hominum. Ille peccati omnis expers fuit *Johann. VIII. 46. 1. Petr. II. 27. Ebr. VII. 21.* Nos peccatis multis gravissimisq; ut fatetur Crellius, obnoxij: ille non indiguit remissione peccatorum, nos eadem omnino opus habemus, nec nisi in nomine ejus eam consequimur, *Actor. X. 43. cap. XIII. 38. Roman. III. 23. seq.* Ille non poterat in morte manere, quia sanctus erat, imò quia verus DEUS & ipsa vita æterna *Actor. II. 14. 1. Johann. V. 20.* Nos meri homines adhæc ob peccata rei damnationis æternæ, nec nisi per redemptionem ejus à morte liberati, adeoq; nullam spem concipere nobis licuisset, sive immunitatis à morte, sive salutis, nisi

per Christum redempti fuisset à morte, nobisq; aeterna reducta fuisset justitia. &c.

XII. *Spes liberationis à morte & salutis, juxta hypotheses Socinianorum, non tam è morte Christi, quàm è resurrectione ejus ad vitam immortalem petenda est. Hic v. de causâ impulsiva non Resuscitationis Christi agitur, sed mortis ejusdem.*

XIII. Præsupponitur hic à Crellio ea remissionis peccatorum & salutis sempiternæ consequendæ via ac ratio, quæ & ἀγῶν & ἀντι-γῶν; nimirum quod per obedientiam & sanctitatem propriam consequamur liberationem à morte & salutem, Act. XIII. 38. Rom. III. 28, c. IV. 5. Gal. II. 16. Si per legem justitia, Christus frustra mortuus est, inquit Apostolus Gal. II. 21.

XIV. Deniq; fatetur Crellius ipse libr. cit. p. 11. eam loquendi rationem, qua dicitur rationem, qua mors Christi nobis remissionem peccatorum pariat, hanc esse, quod Christus mortuus sit, ut nos certam sive remissionis peccatorum sive aeternæ salutis spem conciperemus, non exprimere plenè aut satis propriè efficiam mortis Christi, quam ad remissionem peccatorum nobis parandam habet, unde excusat quidem eam in suis, non autem approbat.

CONTROVERSIA SEXTA.

An Mors Christi remissionem peccatorum pariat, qua impellit nos ad conditionem sine quâ non sit remissio?

Quo pacto mors Christi peccator. remissionem pariat. Socin. sententia. Ejusdem confutat. o.

Est hæc sententia Socinianorum, eatenus tantum mortem Christi ad remissionem nobis comparandam facere, quatenus nos impellit ad conditionem, sine qua nobis DEUS peccata remittere nolit: ut Socini libr. de Serv. Christ passim videre est. At ea refellitur facilè

I. Quia ἀγῶν est; nec unquam è Scripturis demonstrari poterit. Eâdem ergo facilitate rejicitur, quâ asseritur.

II. Quia

II. Quia ἀντίπερατόν est; quandoquidem longè alias rationes, quibus Mors Christi pariat remissionem peccatorum, Scriptura reddat, scil. non quæ nos impellat ad aliquid agendum & remissionem consequendam, sed quod gratiam DEI & remissionem peccatorum nobis conciliârit, quodque peccata nostra expiârit, quod à pœna peccatorum liberarit, quod λύτρον pro nobis persolverit &c. V. Rom. V. 10. 2. Cor. V. 19. Eph. II. 16. Job. II. 1. 2. c. IV. 10. Ebr. I. 3. Ap. I. 5. ut & Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 5.

III. Quia falsâ nititur hypothesi, conditionem, sine qua non, remissionis peccatorum, esse vitæ emendationem, quod à Scripturis non modò alienum est, sed & è diametro Scripturis contrarium, & cum primis doctrinæ Apostolicæ de gratuita remissione peccatorum & impii justificatione planè adversum.

IV. Quia sententiæ Socinianæ non usq; adeò congruit. Mors Christi impellit quidem nos ad vitæ sanctitatem moraliter & exemplariter, veruntamen secundum propriam Socini sententiam, non tam mors, quàm ipsa resurrectio à morte, ejusq; consequentia id præstant, quæ faciunt ad spem salutis, & hæc porrò ad obedientiam, ut Adversarij volunt.

V. Quia influxus talis Mortis Christi ad sanctitatem Scripturis ignotus est; tamen si ejus exemplo, quâ relucet in illâ morte patientia, sanctitas, innocentia &c. excitemur, ut insistamus ejus vestigiis, præsertim, cum Christus nobis patiendò ὑπογράμμον reliquerit 1. Pet. II. 21. nosq; cum in finem liberarit à peccatis & morte, ut ejus essemus peculium Tit. II. 14. ideò impellimur tanto beneficio ad gratitudinem, imò cogimur, ne gratiam vel frustra accipiamus, vel perdamus etiam denuò per peccata.

VI. Quid? quod Crellius agnoscat l. de Mōrt. Christ. causis. p. 6. Scripturam neq; TANTUM, neq; præcipuè id velle, quod tantum velle contendit Socinus, nimirum mortuum saltem esse Christum, ut vitam in melius mutemus, sed causas illas distinguere, ut aliud sit, mortuum esse Christum pro nobis aut pro peccatis nostris, aut peccata nostra sustulisse in lignum, aut effudisse sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum,

rum, aliud, mortuum esse Christum, ut eriperet nos è presenti seculo malo, ut nos sanctificaret, ut pararet sibi populum sectatorem bonorum operum, ut peccatis mortui iustitia viveremus, utq; illa ad hæc referantur.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

*An mors Christi ad remissionem peccatorum
faciat ut medium quoddam & instrumentum perficien-
da remissionis peccatorum?*

*Sententia
Crellij de
modo, quo
Christi mors
faciat ad re-
missionem
peccator.*

Job. Crellius, cum videat non satis idoneam ac sufficientem esse rationem, quam Socinus reddidit, quo pacto Mors Christi faciat ad remissionem peccatorum: aliam dare vult, qua de l. de caus. mort. Christ. p. 6. Alia ergò, inquit, ratio *INVENIENDA* est, qua Mors Christi ad remissionem peccatorum nobis comparandam sit apta, nec tamen ea, ut statuatur Christi mortem conditionem fuisse, sine qua *DEUS* nobis etiam respicientibus ac in Filium ejus credentibus peccata remittere noluerit, sed qua mors Christi medium atq; instrumentum quoddam fuisse statuatur remissionis peccatorum perficiende. Quod ita explicat: *Intelligendum enim est, Christum ratione mortis suæ in sacris literis considerari reverà ut DEO subordinatum; non verò ut eum, qui nostro veluti nomine quippiam DEO præstet sine quo is nolit quippiam nobis concedere. Etenim mortem Christus subiit duplici ratione: partim quidem ut fœderis Mediator seu Sponsor, & veluti Testator quidam; partim ut Sacerdos Deo seipsum oblaturus. Jam verò satis apparet Christum priori modo spectatum, DEO penitus subordinatum esse. Neq; enim vel seipsum ingessit vel à nobis immissus fuit, ad fœdus inter DEUM & nos peragendum; sed DEI, qui ipsum in hunc finem miserat, minister atq; internuncius hac in parte fuit, nec quicquam DEO nostro nomine spondit; sed DEI nomine nobis. Cumq; Testamentum Novum à DEO revera fuerit constitutum, qui nobis sua, ut ita loquar, bona in eo legat; Christus non nisi eatenus testator est, quatenus DEI personam in eo Testamento condendo quodammodo sustinuit, & que ad illud confirmandum pertinuerunt, ejus jussu ac nomine perfecit. De respectu Sacerdotali postea.*

*Refutatio
ejusdem.*

At si Scripturam piè scrutemur, nullam aliam rationem deprehendemus, quàm quod per mortem Christi nobis promerita & impe-

erata

muta sit remissio peccatorum, quodq; Mors Christi causa sit merito-
ria, non medium solum vel instrumentum, vel conditio, sine qua non, re-
missionis peccatorum. Ut autem plenius refellatur Adversariorum
sententia, hæc observanda veniunt.

I. Quod Christus non tantum mortuus sit, & sanguinem effu-
derit in remissionem peccatorum, sed & propitiatio factus sit pro pecca-
tis nostris, & reconciliavit nos DEO per mortem & sanguinem suum, &
quæ his similia Rom. V. 10. Col. I. 20. 1. Job. II. 2. &c.

II. Nec pugnant illa Christum nostro nomine solutionem DEO
prestasse, ut impetraret remissionem peccatorum, & Christum DEO sub-
ordinatum esse, quia Deus ipse Christum constituit Mediatorem,
qui nos sibi reconciliaret, dedit Pontificem, qui seipsum offerendo
pro nobis DEO peccata nostra expiavit, nec concedi hinc potest,
(quod gratis hic assumitur) Christum non considerari ratione
mortis suæ in Scripturis, ut eum, qui nostro veluti nomine DEO quip-
piam præstet, sine quò is nolit quippiam nobis concedere. Perfolvit enim
Christus ut Vas, sponsor, Mediator noster, nostro nomine DEO pre-
tium redemptionis λύτρον & ἀντίλυτρον, sine quo noluit DEUS no-
bis remissionem peccatorum concedere Matth. XX. 28. Marc. X. 45.
1. Tim. II. 5. Eph. I. 7. Ebr. IX. 22. Obtulit semetipsum Christus DEO
ceus Sacerdos noster, ut sacrificij hujus propitiatorij interventu
gratiam divinam consequamur Eph. V. 2.

III. Τοῦ subordinari DEO ambiguum est: nam vel intelligitur
γενικῶς, ut varia sunt subordinationis genera, & quicquid alteri a-
liquo pacto subicitur, ei subordinari dicitur, vel ειδικῶς, ratione
legationis, quod spectandus sit ut Legatus DEI ad nos in hoc myste-
rio, qui DEI nomine saltem nobiscum agat, non autem nostro nomine
vel loco apud DEUM quicquam præstet, quam subordinationem
hic indignant quidem Adversarii, non autem demonstrant.

IV. Speciales si attendamus respectus, quibus mortem subisse dicitur
Christo pro nobis, notantur ut Mediator & Sacerdos considerari potest,
sed & ut Vas noster, ut Redemptor, ut Emtor, qui nos mercat gest sanguine,
ut Testator, ut Spōsus noster, qui pro spōsa, ut Pastor, qui pro ovibus ani-
mam

mam posuit &c. Nec vero eadem prorsus ratio est, qua spectatur Christus in officio suo ut *Mediator*, vel ut *Sponsor*, vel ut *Testator*: *Mediator* est ratione *reconciliationis*, *Sponsor* vero dicitur vel ratione *promissionis & confirmationis* gratiæ ex parte DEI, quâ nobis aliquid spondet à DEO, vel ratione *solutionis pretii* ex parte nostri, quâ DEO λύτρον persolvit pro nobis ceu *Vas & Sponsor noster*, qui pro nobis spondit persolvere, quod nos debebamus: *Testator*, ratione *legatorum bonorum*, quæ nobis per testamentum morte sua confirmandum disposuit.

V. Etsi Christus seipsum non ingesserit, spontè tamen in se recepit: Joh. X. 18. Psal. XL. 9. nec ut *minister tantùm & internuncius* spectari debet in opere *mediationis, reconciliationis, & redemptionis*, sed ut *verus DEUS*, ut *Jehovah*, ut *Filius DEI unigenitus & proprius* Act. XX. 28. 1. Joh. III. 15. Jer. XXIII. 6. Es. XLIII. 24. Rom. V. 10. c. IIX. 32. nec Christus tantùm est mediator internuntij: Nã *internuncius*, quâ talis, voluntatis principalis sui est interpret: at *mediator*, quâ talis, est qui medium inter partes dissidentes sese sistit, easque recõciliare satagit: *Fœdus gratiæ* non annunciat Christus solum ut *minister & internuncius*, sed ipse est *autor quoq; fœderis, & Dominus* ipse sancivit fœdus Matth. XXVI. 26. Zach. IX. 11.

VI. Christus non tantùm *sponsor est ratione DEI*, quâ nobis spondit, aut promittit DEI gratiam, sed etiam *ex parte nostri*, quâ nostri loco recepit in se αντίλυτρον & reapse exolvit 1. Tim. II. 6. nec aliter DEI nomine promittit gratiam, quam virtute λύτρον à se præstiti. Matth. XXVI. 28. Rom. V. 10. 1. Petr. I. 28.

VII. Deniq; Script. Christum non tantùm *Testatorem* facit, qui personam DEI sustinuerit, sed & *autorem bonorum in Testamento legatorum ceu verum DEUM* Jer. XXIII. 6. Rom. IX. 5. 1. Job. V. 20. Et quomodo *Patris personam* sustinuit moriendo, & morte robur testamenti conciliando, quum *mortem intervenire oporteat*
ejus, qui Testamentum fecit, Ebr:

IX. 16. 17.

05 A 602 (1/4)

ULB Halle 3
003 761 878




5b

1017

6b







I. N. 7.

COLLEGII ANTI-SOCINIANI PUBLICI

Quo

MATÆOLOGIA UNIVERSA
 NEO-PHOTINIANORUM
 è Scriptis ipsorum plenè detegitur,
 NEC NON
 è S. Literis, proprijsq; adversæ partis
 testimonijs succinctè refellitur,
 DISPUTATIO DUODECIMA
 DE NOVIS CHRISTI PROMIS-
 SIS SOCINIANIS

DE CAUSIS MORTIS
 CHRISTI,

IN ILLUSTRÆ ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
 PRÆSIDE
 ABRAHAM CALOVIO, SS.
 THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL.
 CONSISTORII ECCLESIASTICI CIRCULI ELECTOR.
 ADSESSORE, ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORO.
 & p. t. COLLEGII THEOLOGICI DECANO.

Publicæ sententiarum collationi subjecta

M. CHRISTIANO LUCIO, Dresdeni
In Auditorio Majori, ad d. Junij horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ, Typis MICHAELIS Wendt. A. cl. 1711.

Part.

*VIRO
 AN. L. S. S. M. O. et C.
 T. S. S. M. O.
 J. V. O. MARTINO T.
 N. E. S. T. I. O., Seren.
 L. E. C. T. O. R. I. S. S. A. X. O.
 P. R. E. F. A. R. I. O. M. E. R. I. T.
 P. E. T. R. O. N. O. a. c. P.
 S. I. L. V. O. M. T.
 plurimè c. a.
 m. i. t. t. i. b.
 L. E. S. P. O.*

